

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

HISTORIAE EC||CLESIASTICAE PARS || PRIMA, QVA CONTI-||NENTVR ||
Eusebij cognomento Pamphili Cæsareæ Palæ-||stinæ Episcopi lib. 10.||
Eiusdem de vita Constantini magni lib. 4.|| Oratio Constantini magni ad
sanctoru[m] cœtu[m].|| Oratio eiusdem Eusebij in laudem Constanti-||ni
magni ad trigesimum ...

Christopherson, John

[Köln], 1569

Quomodo Simeon Hierosolymorum episcopus martyrium subierit. Cap.
XXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29861

EVSEBII HISTORIAE

seminaria morte consopita sunt: quæ quidem resuscitabuntur in extremo die aduentus Domini, in quo est venatus cum gloria de cælo, & omnes sanctos conquisitrus: Philippum dico unum ex septem diaconis, qui Hierapolii extremum vitæ diem obiit, & duas illius filias, quæ virgines in extrema senectute occubuerunt: quarum altera vitam spiritus sancti afflatu piæ sancteque institutam degens, Ephesi morte obiit. His accedit Ioannes, qui supra pectus Domini recubuit, quiq; cù esset sacerdos, *θέταλος* gestauit, qui denique martyr & doctor fuit, & Ephesi etiam obdormiuit. Hæc de illorum morte. Porro in Gaij disputatione, quam paulò ante citauit, Proclus contra quem disceptationem instituit de morte Philippi & filiarum eius, his à nobis expositis admodum consentiens, sic loquitur. Post Hierapolii in Asia quatuor filiæ Philippi prophetissæ fuerunt: ibidemq; tum illarum, tum patris sepulchrum locatum est. Hæc ille. Lucas preterea in Actis Apostolorum de filiabus Philippi, quæ tū Cæsareæ in Iudæa simul cum patre versabantur, quæque dono prophetæ erant imbutæ, ita verba facit. Venimus, Cæsaream, & ingressi in domum Philippi euangelistæ, qui erat unus è septem, mansimus apud illum: huic quatuor erant filiæ virgines, quæ prophetabant. Iam verò, ea, quæ ad nostram cognitionem peruererint, de tempore Apostolorum, de scripturis sacris, tum quas ipsi reuera post se reliquerint, tum quibus contradictum sit, (quæ tamen à nonnullis ecclesiis multorum approbatione publicè receptæ & perulgatae sunt) tum denique quæ sint omnino adulterinæ, atque adeo ab orthodoxa Apostolorum opinione & sententia penitus alienæ, haec tenus nostro sermone persecuti, deinceps ad reliquam historiam transeamus.

Quomodo Simeon Hierosolymorum episcopus martyrium subierit. C A P. X X V I.

POst Neronem, & Domitianum, sigillatim in quaue ciuitate sub Traiani imperio (cuius iam tēpora perquirimus) ex seditione populi excitata, graue contra nos

nos Christianos persecutionis tempestatem commotam fama & sermone percrebescit. In qua Symeonem, filium Cleophæ, quem secundum Ecclesiæ Hierosolymitanæ episcopum creatum declarauimus, martyrio extremum vitæ suæ diem confecisse accepimus: atq; huius quidé rei idem ille Hegesippus testis est: cuius testimoniosis, variis in locis antea vñi sumus. Qui cum de quibusdam, qui erant ex septem Indæorum sectis verba facit, perspicue adiungit Simeonem, quem diximus, propterea quòd Christianus erat, ab illis eodem tempore callidè & malitiosè in crimen vocatum. Qui cum dies complures grauiter esset verberibus cæsus, indicemq; ipsum, & eos qui in cō filio aderant, sua tolerantia in primis obstupefecisset, tandem nō dissimilem vitæ exitum à Domini passione subiit, verum multò commodius est, mea quidem sententia, ipsum scriptorem hæc eadem isto modo ad verbum ex planantem audire. Ab eodem scilicet Sectarum numero, quidam Simeonem, Cleophæ filium, nō modo vt ex Davidis stirpe editum, verum etiam, vt Christianum, in iudicium adduxerunt: atque ita, cum annos centum & vi-

ginti compleuisset, coram Traiano Cæsare, & Attico viro consulari, fidem Christi constanter professus est. Est porro apud eundem authorem, accusatores Simeonis, cum Iudæi ex regia tribu Davidis prognati, diligenter conquirerentur, forte fortuna ex eadem stirpe manifesto deprehensos fuisse. Quòd si quis Simeoni tum oculis Dominum conspexisse, tum auribus eius sermonem accepisse dixerit, ratione certe id quidem potest, non solum longinquitate temporis, quo vixerit, sed euangeliorum testimonio, quod Mariæ Cleophæ meminerit, vbi citatur Maria Cleophæ, pro arguento vtens, cuius filius, vt supra posuimus, fuit Simeon. Idem Scriptor, alias etiam ex genere Iude ortos (Iudas autem fuit unus ex illis, qui Seruatoris fratres dicebantur) Post testimonium illud iam antea demonstratum, quod coram Domitiano pro fide Christi dixissent, ad huius Traiani imperium vitam prætraxisse narrat. Scribit enim ad hunc modum. Veniunt & præsunt universæ ecclesiæ, vt martyres: & vt genere Seruatoris,

H 3 & Do-